ORATIO HABITA

AD XYSTVM V.

PONT. MAX.

NOMINE MAGNI MAGISTRI FAMILIÆ HOSPITALIS S. IOANNIS BAPTISTÆ.

A THOMA CORRÆA.

Obedientiam prestante ornatissimo viro F. Francisco de Astorch Sagreuille Domini, & Sororis Magni Magistri filio. Romę IIII. Kal. Augusti Anno M.D.LXXXV.

PERMISSV SVPERIORVM.



ROMAE,
Expensis Valerij Pasini prope Gymnasium Rom.
M. D. LXXXV.

AMPLISSIMO HEROI

D. FRATRI HVGONI DELVBENS VERDALLE DOMINO SODALITATIS HOSPITALIS S. IOANNIS BAPT. M. MAGISTRO.

THOMAS CORRÆA S.

FRATER *Franciscus de Astorch Sagreuille domini, tuæq. sororis filius tuo, & Sodalitatis totius nomine gratulaturus, & obedientiam præstaturus Pont. Max. Xysto V. me interprete, & internuncio in tuis mandatis exponendis vsus est; quæ ea persona suscepta indefungendo munere dixerim, leges absens, perinde ac nos coram enunciauimus. Illa si tuæ voluntati satisfaciunt Heros amplissime functos nos officio iudicabimus; si tuum desiderium non expleuerimus, inopiæ ingenij ascribito, quod non tam magnifica potest præstare, quam te optare, & velle intelligimus; omnia tamen æqui, & boni consulito, quando*

 Pont:

Pont:ipse omnium max:tua magis voluntate,quam cuiusquam Oratione ista perpendit. Etenim magnum esse virtutis præmium bonorum iudicium debes existimare: quod etsi contritum,& contemptum, temporis iniuria videbatur esse; docuisti tu nos tuo exemplo eum iure florere, qui maxime virtute excelleret: nec dignitatem ex vllis opibus,sed ex promeritis egregijs pendere. Non enim tu ad hunc honorem errore hominum obrepsisti,sed multorum,& magnorum commendatione meritorum eum gradum obtinuisti. Quod si a tenebris nomen suum vindicare,et ab obscuro principio claritatem generis asserere magnum est; maius cum claris viris ita versari, vt ad verum decus tua virtus facem illis præferat; maximum certe erit inter claros, & nobiles clarissimum, & nobilissimum locum tenere, & a nobilitate Christiani generis vndiq. collecta in vnam ampliss: sodalitatem coli, obseruari, diligi. Hoc quia vni tibi in uita contigit, & ijs, qui ante te hanc personam sustinuerunt,te iure optimo hoc nomine fortunatum censemus. Nam alia,quæ speciem habere videntur gloria collecta inanissimis splendoris insignibus breuia sunt,fugacia,caduca: eximium autem est, nobilitatem non minori tibi esse ornamento,quam te lucem nobilitati impertiri: gloriosum hanc omnem amplitudinem in eum diriuare, in quem Deo comproban-

te,

te, applaudentibus hominibus omnia ornamenta collata videas. Quo maior tua prudentia apparet, qui congruentem susceptæ personæ vitam cum agas, efficis tamen vt tuo exemplo alij condiscant, quam iucundus sit virtutis fructus. Et certe nulla maior salus humanis rebus potest reperiri, quam vt omnes intelligant, verum decus in virtute, et officij promeritis consistere, et nihil magnificum duci, & præstans, quod ad indignos possit conferri. Efficis tu præclare agendo, vt non ex munere, & prouincia tibi mandata, personæ, quam geris, dignitas quæratur, sed ipsum munus ornas vitæ genere, consilio, & modo; vt non magno Magisterio vir; sed viro Magnum Magisterium cohonestetur. Sunt enim in te non adumbrata virtutum signa, sed expressa. Vnde tua laus ad hominum famam profluxit, & ad existimationem latissime dimanauit, & quod talis sis, & quod constitueris familiam, quæ paulo dilapsa profluebat, eaq. composita perfruaris. Quæ cum omnium salutem complectatur fieri magna ad meliorem spem inclinatio visa est, cum tu hanc personam suscepisti. Nam cum equites tui senescentem bellicæ virtutis laudem inter mortuam esse non patiantur, sed ab hominum obliuione vindicent, vere fortunatus tu, felices illi haberi potestis, qui honoribus, et gloria eum vitæ cursum teneatis, vt vel indiscrimine sine periculo, vel in

otio cum dignitate viuatis. Nec solùm bellicæ virtutis laudem alijs præripiatis, sed nomen vestrum gloriose ad omnem memoriam posterorum emanare velitis, vt virtutis famam prædicatio, prædicationem expectatio superet. Merito igitur tibi optamus, vt quam diutißime viuas tuis, & communibus vtilitatibus. Cum vero ex hac militari contentione ad cœlestem triumphum euolaueris, vt vitæ sociam virtutem habuisti, sic mortis Comitem gloriam habebis, vt gloriosus exitus laudabilem vitam consequatur.

ORA-

ORATIO AD XYSTVM V. PONT. MAX.

THOMÆ CORRÆÆ.

SI momento suo quod vis officium ponderari; si grati & beneuoli animi magnitudo posset verbis explicari. P. B. præclare cum cogitationibus humanis ageretur. Nam si studium, & propensionem suam, & Equitum Melitensium gratulandi, & obedientiam præstandi tibi, & huic augustissimę Sedi Apost. per hunc ornatiss. Oratorem suum F. Franciscum de Astorch, Sagreuille Domini, suęq. sororis filium F. Hugo Delubens Verdalle Dominus Familiæ Hospitalis Sancti Ioannis Baptistæ Magnus Magister posset declarare, vel ex hoc suę, & equitum reliquorum egregię voluntatis testimonio fructum maximum caperet. Sed publica significatio tacitum sensum non assequitur, vincit opinionem lætitia, opinio voluntatem nequit adæquare. Sperat tamen P.B. te pro tua incredibili sapientia multo plura, & maiora tacite animo concepturum, quam quæ ijs angustijs temporis, & inopia orationis continebuntur. Etenim quæcumq. a gratis animis, & amicis; quæcumq. ab officiosis voluntatibus, & morem gerentibus viris expectari, & præstari possunt, ea omnia de Magno Familiæ Hospitalis Sancti Ioannis Magistro, deq. ipsa Familia tuo tibi iure debes polliceri. Et quia viri sapientes in collocādis officijs, non quanti quidquid sit, sed qui sit animus illius, qui officium ponit,

nit, ponderandum duxerunt, hic si recta trutina exigatur, pon dere suo, & merito studium singulare indicabit. Magnus Magister de se facit coniecturam, quod ipse sentit, sentire ceteros eiusdem generis homines intelligit. Illorum propensam voluntatem obsequendi decretis, & imperijs tuis cognitam habet, animos arbitrio tuo perpetuo addictos per hunc præstantiss. Oratorem suum tibi cupit explicare. Cum familiæ Sancti Ioānis hominibus nihil sit, aut fuerit vnquam antiquius, nihil instituto Sodalitatis commendatius, quam vt quemcumq. Summ. Pont. Diuorum numero habeant, legem sibi in omni vita indicant eiusdem nutum, & voluntatem, nec solum sese ad præscriptum accommodent, sed ad illius arbitrium se totos fingant, & conuertant: eum vt parentem optimum colant, venerentur, diligant; vt Summum Religionis interpretem suspiciant; ad eundem Dei immortalis potestatem translatam esse intelligant. Quantam vero lætitiam, & voluptatem equites Melitēses perceperint te Pont. Max. Deo approbante; fauentibus, atq. incumbentibus hominibus declarato, hæc præpropera gratulationis, & obedientiæ præstandæ significatio; clara eius generis hominum in te studia; hoc cultus, & obseruantiæ specimen, hoc indicium egregiæ voluntatis non obscure testatur. Illud omnes optant, tibi pro comperto esse diem illum ad omnem memoriam sibi celebrem, & Sanctum futurum, quo tu Pont. Max. fuisti renunciatus; vt tantum hoc nomine huic summo orbis terræ concilio se debere confiteantur, quantum soluendo esse diffidant. Ingentes propterea immortali Deo agunt gratias, maiores etiam habent, quod te, qui secundum Christum dux es, & caput ad subuectandum Ecclesiæ onus excitauerit. Gratulantur non minus tibi, quam toti Reipub. Christianæ, quod eum, cui necesse erat obedire, qualiscumq. esset, Pontificem talem habeamus, vt libenter quoq. diligamus. Orant igitur eum, cuius nutu sola terrarum gubernantur, vt te omnibus diuinis muneribus ornatum, & cumulatum toti Ecclesiæ salutum, & incolumem quam diutissime conseruet. A te P.B. studijs omnibus

nibus contendunt, vt parens omnium cum sis, ipsorum patronus pręcipue, & defensor velis esse. Conferunt illi se in fidem, & patrocinium tuum, in tuis placitis suę vitę modum habent constitutum, ac maiorem fructum in hoc obsequendi studio, quam in vlla ponunt felicitate. Vident in te vnum & immortalem Deum, & hos A A. PP. omnia ornamenta congessisse; te bonis omnibus auctum admirantur, & suspiciunt. Nec sanè illis mirum videtur virtutem in ea ciuitate plurimum posse, quæ propter virtutem gentibus omnibus, & nationibus imperauit. Neq. esse a virtute illorum alienum virtuti tantum tribuere, qui in vnam uirtutem penitus incubuerunt. Vt bene augurari, & sperare iam debeamus, quod optare boni omnes consueuerunt, te ista sapientia, auctoritate, rerum vsu, vitæ integritate ad gubernacula Reip. excitato, res fluctuantis Ecclesiæ non modo posse respirare, sed perfecte stabiliri, tempestates sedari, pericula propulsari, pacem, & quietem vbiq. constitui. Credat quisquam hæc tot, & tanta bona tibi fortuito obtigisse? At vetat Christus vindex, & assertor salutis nostræ, vel minimam rem Deo inscio geri, qui nec præterit auiculas cum incidunt in cassides, & frondes arborum, cum excutiuntur, non negligit. An defuisse illis iudicium in te seligendo, quorum consentientibus studijs Pont. es renunciatus? At grauiss. est orbis terræ consilium, vt ipsorum sententia legum superet auctoritatem. Quod si non temere honores ad quempiam deferuntur; si est prudentia in hoc orbis terræ theatro, quæ, & qualia demũ existimanda sunt tua promerita, ob quæ Deo, hominibusq. consentientibus ad eam dignitatẽ ascendisti, vt quo progrediaris in vita mortali non habeas? Etenim in eo gradu maiestatis consistis, cui augustiss. Imperatores, potentiss. Reges, inuictæ nationes fasces submittunt. Occupas illam Sedem, a qua salutaris animorum medicina postulatur; vt vnus consulere Reip. eius mederi vulneribus, curare afflictas, & prope desperatas partes, obductas cicatrices delere, pestem, & labem remouere, tergiuersantes reuocare, tecta euntes incitare, promouere languentes, miseris, & af-

B flictis

flictis opem ferre, fluctuantibus perfugium præbere, beneficijs iuuare quamplurimos, de vniuersis possis benemereri. Campum habeas amplissimum, in quo tua excurrat, & euagetur beneficentia, spectetur Iustitia, prudentia perspiciatur. Quæ versabantur in animo tuo præclaræ cogitationes, nunc expromi possunt; quo in vita mortali poterant aspirare, peruenerunt, constitisti in spatijs, hæres ad metas; quo tendas vltra non habes, quid facturus sis intentis animis omnes expectant. Fama te per ora hominum vehit sublimem; tuam incredibilem virtutem circunfert; tuum nomen æternis consignatum, atq. inpressum gloriæ notis in orbem terræ dissemi-nat. Explicabis tu P.B. animi tui opes, cum tuis, hoc est, cum vniuersa Rep. Christiana communicabis; promes e pectore isto tuo thesauros illos prudentiæ tam multis vigilijs congestos; dabis in lucem illa præclara, quæ longa consuetudine recte agendi colligisti. Non potest tua virtus latere in tenebris, quia nemo accendit lucernam & ponit eam sub modio. Versatur in hoc orbis theatro, in luce totius Reip. Christianæ consistit; in omniū auribus circunsonat. Habes qui onus ex aliqua parte alleuent hos A A. PP. orbis terræ lumina, & ornamenta, plurimos Episcopos, Imperatorem, Reges, ceteros Principes Christianos, quorum vnusquisq. pro sua virili partem, aliquam oneris subuectet, & sustineat humeris. Habes vel imprimis familiam equitum Melitensium, vt propriam, & tuam eius gentis Magno Magistro duce Hugone delubens; qui omnes illud sibi in omni vita habent propositum, & institutis sodalitatis antiquissimum vt Pont. Rom. præsto sint, adsint ad nutum, imperium sequantur, legem sibi præscriptam ducant eiusdem voluntatem, vt non iniuria insigni candidæ crucis nota cohonestentur, sed suam crucem tollant, & Pont. Max. semper sequantur. Hinc pro nomine Christiano alacri animo in quodvis discrimen vitæ descendunt; quibusuis procellis, & tempestatibus sese exponunt, nauibus longis prædones, & piratas longe propulsant; illorum oras vltro impetunt, in illorum fines incurrunt, vt hac ratio-

ne pe-

ne pestem, & labem auertant, inuadendi nostra potestatem illis subtrahant, aditum in nostra maria praecludant commu nem Christianorum causam quasi ipsorum propriam defendant. Nam omnes aliae sacrorum militũ familiae aut ad aliquam prouinciam praecipue spectant, aut ab aliquo rege, & principe defendent; equites Melitenses nulli mortalium addicti, Summ. Pont. Rom. vnum intuentur; ab illo ita pendent, vt omnibus in hostes nominis Christiani arma capientibus studiosissime adsint. soli tria vota religionis libera emittunt. Soli ex omni nobilitate generis Christiani vndiq. collecti sese ad Summ. Pont. arbitrium penitus conuertãt, & sponte addicant. Soli terra, mariq. infestissimos hostes nominis Christiani magno vitę periculo persequantur. Nam si velimus animo antiqua complecti, & memoriam veteris instituti recordari, sic inueniemus anno post Christum natum CIↃ. XCIX. paschali II. Pont. Max. quo tempore Godefridus Bullonius Rex gente Lotaringa Palaestinam iugo seruitutis eripuit, hanc Sodalitatem extitisse: eorum fuisse consuetudinem conuenas pietatis ergo ad illa loca commeantes per hospitaliter tecto, & domo excipere; eo adeuntes ab insidijs hostium protegere: Incoluisse magnam Palaestinae portionem; habuisse in suis montem Taborem, & Bethaniam. Nulla ipsorum culpa, sed sola inconstantia rerum humanarum aduersis casibus Rep. Christiana oppressa anno CIↃ. CCXCI. a Xeriso Sultano de antiqua possessione fuisse deiectos: pulsos primum Ptolemaidem, deinde Cyprum, demum Rhodum tenuisse. Insula expugnata a Solymano Turcarum tyranno equitibus LXX. peditibus CCC. Millibus Caroli V. Augusti beneficio Melitam obtinuisse. Ibi in statione, & in Excubijs semper pro nomine Christiano prętitisse, hospitalitatem exercuisse. Propugnaculum illud obiectum, & oppositum hostium furori non tam moenibus, aggeribus, & mari vndiq. tutum esse voluisse, quam propria ipsorum virtute. Omitto reliqua, quae sunt pene infinita; repetamus memoria, quae XX. ab hinc anno pene vidimus, quibus pleriq. qui adsunt eius gentis homines interfuerunt,

fuerunt,cum Asiæ, Africę,& Europæ vires omnes hostiles cęco impetu in vnam Melitam conspirarunt;vbi diù repulsi hostes cum summa ignominia,fracti, debilitatiq. domum cum dedecore profugerunt. Quid recenti memoria ad Echinidas in Naupacti sinu,quid præstiterint, victoria ipsorum sanguine parta proclamat. Perstiterunt illi difficilioribus locis,primum hostium impetum sustinuerũt,Signa contulerunt,conseruerunt manus, salutem classi fœderatorum suo interitu pepererunt, mortem obitam per decus rebus omnibus anteposuerunt. Nam illis hæc sunt in vitæ institutis decreta, vt qui nomina in illa sodalitate dederint,& insigni candidę crucis nota fuerint decorati diligentē nauent operam,quo Christianæ religioni in dies sit melius; in Christi causam ardenti animo incumbant, laudibus familiæ respondeant,sui ne sint dissimiles, virtute numerum superent, gloriam spectent; vitam per dedecus retentam omnibus cruciatibus acerbiorem putent. Rem sibi esse cum virtute,non cum dissidia sciãt,cum dignitate non cum voluptate,cum industria,non cum otio,& requiete. Nullum laborem recusandum, nullam terræ, marisq. molestiam declinandam; nullam subterfugiendam difficultatem;studia,cogitationes,curas,mentem deniq. totam defigendam esse in defendenda,& propaganda rē Christiana; laudem,& decus, non vitæ commoda quærenda esse. Voluptates,vitiorum illecebras,cupiditatum lenocinia,vt Syrtes, & scopulos vitanda. Semper in excubijs,semper in campo,in acie,in Sole,in puluere,in medijs fluctibus versari iucundissimum censeant. Alijs otium, non sibi parandum: sudandum, & contendendum pro multorum commodis;subeunda,experiundaq. vitę discrimina,terra,mariq.adeundas tempestates, præsentes fructus negligendos; immortales sperãdos esse meditentur. Sibi semper in labore propositam esse voluptatem, in exitio salutem,in periculo quietem,vt hac ratione libenter in certam mortem pro religione se conijciant. Huius disciplinæ dux, auctor, & princeps est F. Hugo Delubens Magnus Magister,non alienæ virtutis spectator,sed actor suæ;qui per

omnes

omnes gradus ad eum peruenit, vt non iniuria alijs possit esse exemplo, & adiumento. Quem non modo familiæ exercitatio talem effecit, sed priuatæ vitæ modus, & ratio conformauit. Quoniam cum Hæreticis bona familię aut occupantibus, aut atterentibus ita conflixit, vt non solum omnia in antiquũ statum restituerit; Sed etiam diuinum cultum iniuria temporis, & vitio gentis perfidæ pene oblitteratum in frequentem vsum asseruerit. Nec solũ suscepti instituti ratione ad omne studiũ propugnandæ Religionis incitatur, sed quasi quodam debito, & iusto officio inflammatur; cum eam personam sibi impositam recordatur, tum vitæ meritis, tum studio singulari Sedis Apostolicæ. Nam Gregorius XIII. felicis memoriæ cognita hominis prudentia, vitæ integritate, vsu rerum, pietate singulari prerogatiua dignũ duxit, in quo operam suam, & officium adhiberet, vt tãtum dignitatis gradum obtineret. Quem gradum vbi obtinuit studijs consentientibus vndiq. & conspirantibus voluntatibus, nihil habuit antiquius, quam vt incommoda familię nõnullorum illata dissidio resarciret, serpentem licentiam cohiberet; omnes in officio contineret; vt hæc recentia antiquis respondeant. Ab hac disciplina tanquam ab equo Troiano innumeri quotidie viri fortissimi egrediuntur, quorum opera Christiana Resp. in suis difficultatibus vtatur. In ea Insula tanquam in optima solidæ virtutis officina ad omnia priuatæ, & publicæ vitæ officia Sodalitatis alumni conformantur, nemo vt magis alterius virtutem suspiciat, quam exhibeat suam. Ludus illis est, & iocus excitare pedum celeritatem, ad speciem initæ pugnæ ictus, & petitiones conferre; incursiones leuis armaturæ, & irruptiones imitari, operam ad robur corporis confirmandum, vt in palęstra ponere; arma omnia nosse, & tractare, hostium consilia inuestigare, tenere quomodo vrbes capiantur, machinas bellicas moliri, omnem pretij apparatum meditari, hospitalitate omnes excipere. Nec tu P. B. debes existimare minus esse ornamentum Sedis Apostolicæ habere homines in tua ditione integritate vitæ præstantes, qui votis, & precibus immortalẽ

Deum

Deum nobis reddant propitium; quam eodem religionis instituto viros fortissimos, qui hostium furorem infringant, & eos aut extinguant penitus, aut huic maiestati augustissimæ cogãt obtemperare. Scripit namq; ita in dies malum, ita vndiq; Ecclesia conflictatur, ita pestifera hęreseos hydra capita quotidie robustiora attollit, vt omnis Reip. tranquillitas in præsidio bellicæ virtutis lateat. Excipio semper auxilia coelestia, loquor de subsidijs humanis. At quæ ora est, qui sinus, quod littus, quæ tam seposita, & disiuncta terræ portio, quo Melitensium equitum nomen cum laude non peruaserit? Atq; adeo eo cariores illi tibi esse debent P. B. quo promptiores in tua vota, & voluntatem esse intelligis. Aderunt illi, obedient, accurrent omnes ad nutum, si accersas, descendent in campũ, vitam adducent in discrimen, subibunt libenter omnia certamina, vt tuis imperijs obsequantur. At quid potest esse augustius, quid magnificentius, quam vt conatus, & contentiones huius sanctissimæ Sedis illi promoueant, quos intelligis non minorem scientiam ad bella ineunda tenere rei militaris, quam voluntatem ad vitam, & sanguinem profundendum pro nominis Christiani amplitudine? Ecquid honestius, quam vt illi Summ. Pont. circunstent armati, quibus eadem Religionis auctoritas defendenda proponitur? Quibus tu cautius, & securius Ecclesiæ dignitatem credas, quibus commodius te committas, quam ijs, qui Suorum laterum obiectus libenter opponent, vt te suum parentem per quam tutum esse velint, qui & vitæ genere tibi sunt addicti, & instituto dicto audientes, & voluntate optime affecti, & studio, atq; officio obsecundandi parem habeant neminem, omnes longo superent interuallo? Detrectabunt, refugient, tergiuersabuntur fortasse? Non cadit in hoc genus hominum vlla suspicio tergiuersationis, omnibus vltro occurrunt, hanc laudem vt propriam, & suam studiosissime aucupantur. Tibi tamen se, & familiã totam Magnus Magister addicit, in tuam sese dat potestatem, vtaris licet tuis, vitam, & sanguinem æquissimo animo profundent, vt hostes nominis Christiani

penitus

penitus exterminent. Quocumq. tu votis, & optatis aspiraueris, ipsi studijs, & armis sequentur. Hanc suam, & Sodalitatis totius voluntatem F. Hugo Delubens Magnus Magister per Hunc F. Franciscum de Astorch. Sororis filium tibi exponit, quam cum non possit ipse coram explicare magnis negotijs creditæ sibi prouinciæ impeditus, hunc oratorem, quem habet carissimum, & a teneris annis de tota Sodalitate optime meritum ad te cum mandatis misit, per eum tibi hodierna die fidem ille suam, & fratrum suorum obligat, obedientiam præstat, studium pollicetur, inseq. recipit, consilio se quantum poterit, labore, & industria etiam plusquam poterit sedulo curaturum, vt familiæ Hospitalis Sancti Ioannis homines pro Rep. Christiana diligenter excubent, & studiose contendant; nec solum in eo Melitensi propugnaculo, quod habent munitissimum hostibus obsistant, sed terra mariq. illis aditus præcludant, adeundi potestatem eripiant, conatus retardent, vndiq. sese opponant, quo totius tu Ecclesiæ Catholicæ pace, & quiete diutius perfruaris.

D. AN-

D. ANTONII BVCCAPADVLAE

RESPONSIO NOMINE S. D. N. XYSTI V. PONT. MAX.

AD CAPITA *Orationis Hugonis Verdalli Hospitalis Hierosolymitani Magistri nomine habitæ, gratulationis, laudationis, obedientiæ, sic fere iubet responderi S. D. N. Simile propemodum esse gratulari Sanctitati suæ de Summo Pontificatu, vt si quis homini antea quieto, & in magna tranquillitate versato gratularetur quod vasto in mari, & procelloso, inq. magnis tempestatibus præpositus esset nauicula gubernandæ. Agnoscere quidem se, & prædicare summum in se Dei beneficium quod optima voluntate, atq. animo sit. in tantis tamen fluctibus, in tanta rerum, ac temporum iniquitate, in tanta Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatione, multisq. in locis iactura, atq. interitu, proprio quodam & præsenti diuinæ gratiæ præsidio indigere. Posse hanc suam omnium Ecclesiarum sollicitudinem singulis Ecclesiis, atq. ordinibus præfectorum studio, & vigilantia alleuari. Si suis quisq. in locis operam det, vt pie, sancteq. viuatur. Id vero Magistrum in suo ordine curare, in diesq. magis curaturum esse, sicq. a Sanctitate sua, atq. a Deo magnam gratiam initurum confidere. Laudes suas minime postulare, aut agnoscere; Magistri, eiusq. Ordinis Fratrum, virtutem multis, grauissimisq. prælijs spectatam, & cognitam plurimi facere. Præsentem legationem a Francisco Castorch Magistri auunculi sui mãdato susceptam, eius obedientiæ testificandæ caussa, quia Magister, atq. ordo vniuersus, & communi Christianæ Religionis officio, & propria ipsorum professione Romano Pontifici sunt obstricti, libentissime vna cum ijs venerabilibus fratribus suis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accipere, eosq. paterna caritate amplecti, eorumq. commodis, atq. ornamentis nulla vnquam in re defuturum esse.*

ROMÆ,

Apud Iacobum Ruffinellum. M. D. LXXXV.